

Ann. X.

ROMÆ, Kal. Iuniis MDCCCCVII

Num. VI.

VOX URBIS


DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;
ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINA"

VARSIAE POLONORUM
Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

VARSIAE POLONORUM
Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sed. Ap et S. Rit. Congr. Typ.

LONDON W.
28, Orchard Street.

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

RATISBONAE in BAVARIA.

MONTREAL
1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

Quid de lingua Esperanto censeamus?

Vox Urbis palaestra. - Fragmenta Ciceroniana: Cicero qua fuerit animi inconstantia.

Varia latinitas. - Paroemiae sive adagia: Sero sapiunt Phryges.

Duo Magi (Sancti Marcianus et Lucianus). - Carmen FRANCISCI SOFIA-ALESSIO Molochini in certamine poetico Hoeufftiano anno MDCCCCVII magna laude ornatum.

De S. Ioannis Baptistae cineribus.

Ex Batavia. - De certamine poetico Hoeufftiano in annum MDCCCVIII indicto.

De nigritarum religione in Americis.

Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.

Acta Pontificia. - Litterae Apostolicae ad Archiepiscopum et Episcopos Boliviæ, quibus Pontifex de hostilibus Guberniæ Boliviæ in Religionem ausibus conqueritur.

Diarium Vaticanum. - Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electiones.

Annales: - Pax in inferiore America composita. - Foedus inter Iaponiam et Galliam. - Triplex Europaeum foedus confirmatum. - Regalia itinera. - Mauritanorum seditiones. - Regni haeres in Hispania natus.

Publici per Orbem coetus legibus ferendis.

Per Orbem.

Aenigmata.

In tertia operculi pagina:

ZENO - Tragoedia JOSEPHI SIMONIS Angli. (Passim retractavit hodiernisque scenis aptavit L. F.).

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGLIANI

35, Via della Pace

MDCCCCVII



T. ET G. FRATRUM PARISI
Pontifica officina Candelarum ad Sacra
Facularumque sine oleo ad noctem, decem horas ardentium.

ROMAE in ITALIA, in Foro Campi Martii, 6

Peculiaris candelarum liturgicarum fabricatio ad S. Sacrificii celebrationem - Cerei Paschales
- Lumen Christi - Cerei ad Officia Tenebrarum - Cerei ornamenti decori ad baptismata et
Sacram Synaxim primum recipiendam - Filum cera madefactum ad candelas accendendas.

Merces ad omnes orbis portus nullo impendio iubentium, ne pro colligatione quidem, mittitur.

REQUIRANTUR CATALOGUS ET PRETIA

Officinae honores concessere Summi Pontifices PIUS IX, LEO XIII, PIUS X.

Commercium epistolare habetur Italica, Latina, Anglica, Gallica, Theutonica, Hispanica lingua.

Sociis et lectoribus officinam hanc Candelarum ad Sacra enixe commendamus,
quae per orbem universum operis suae fructus iamiam disseminavit.

SUPELLEX AD RES DIVINAS

Commentarii VOX URBIS administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad VOCIS URBIS administratorem (Romam, *via Alessandrina, 87*)
mittantur, res praecise indicando, quas quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum
aestimatio fiet.

SATURIO

Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro
Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii VOX URBIS
paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Com-
mentarii eiusdem administratorem venale prostet lib. 1.

IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra Itallam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR.
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

Quid de lingua Esperanto censeamus?

QUIS non animadvertisat inter varia hominum studia, quae recentioribus temporibus aucta sunt, aut etiam nascuntur, plurima imprimis ad associandas et conciliandas gentes populorumque suscipi? Num omnia, quae hoc consilio fieri videntur, huic nobili desiderio satisfacere queant, sub iudice lis est, si quidem iam aperte dicere nolumus multa, quas res levare et corrigere velint, iis plus nocere quam opem ferre posse; in quibus forsitan interdum non tam res ipsa, quam ratio atque forma, quas sequuntur, periculum minentur, ut tumultuosa illa conventa, socialia quae dicuntur, si quidem religionem, fidem, leges divinas violant, quibus contemptis nullas quoque leges humanas observari posse, quis, si naturam humanam diligenter cognitam habeat, non assentiatur?

At sunt etiam, quae sine controversia nil nisi utilitatem, securitatem, pacem hominum inter homines, gentium inter gentes, spectent rectaque via et ratione assequi conentur, in quibus in primis consortium illud internationale, quod Hagae sedem habere solet et legum inter singulos populos aequandarum et formandarum munere fungitur, numerandum putamus.

Quibus conatibus addendum est studium recens aliud, de quo, quum res et munus et conditionem nostram attingat, in animo habemus paulo copiosius atque diligentius disceptare. Constat enim et exstisset paulo ante et nunc esse viros, qui vinculum quoddam invenire conantur, quo diversi sermonis gentes et populi arctius inter se coniungantur; quod vinculum communi sermone aliquo et lingua connecti posse autem. Qua in re, quis homo bonus non maximo gaudio affiliatur, si non in vanum laboreetur? Sed multa, credo, obstant, quoniam id perficiatur. Primum enim omnium fieri potest, ut universi homines uno eodemque sermone utantur? Iam enim in singulis nationibus, quae unam efficiunt gentem eademque lingua inter diversos populos distinguuntur, nusquam solido, sine vario idiomatico aut, ut ita dicam, solaecismo passim elaborato, incolae inter se loquuntur, ut lingua germanica in alia provincia suum *Hochdeutsch*, alia *Plattdeutsch* habet, in Gallia autem *langue d'oc* et *langue d'oïl* novimus, ita ut cives eiusdem nationis alii alios non intelligent loquentes, nisi sint uno idiomatico.

Sed, etiamsi unaquaque natio sermonem una ratione elaboratum nec in singulis regionibus variantem haberet, num exspectari potest universos populos ullum sermonem suo praepo-

situos eumque accepturos esse? Absurda haec spes est et rerum naturae repugnat.

Sed id iam sufficiat, forsitan quispiam dixerit, si homines exculti, litterarum aut artium gnari ad quaevis commercia inter varias orbis terrarum gentes sustinenda unum aliquem eligant et adhibeant sermonem, ut in rebus politicis lingua francogallica vi et ratione evolutionis historicae, iure principi sibi vindicato, etiam nunc ab universis civitatum gubernatoribus et principibus usurpatum. Sed ne id quidem, ut est natura hominum, perfici potest; neminem enim civem patriae amantem invenias, qui sermonem suum alieno postponi patiatur, praesertim quum non solum pro linguis suis nationes, sed etiam pro dialectis gentes his temporibus ardenter et quidem iure optimo propugnant.

Attamen querunt et conantur homines, si et huic studio conciliandorum inter se hominum satisfacere possint. Itaque, ne quis sermonum populorumque contemni aut laedi videatur, aliquid novi, omnibus pariter alieni exquiritur, quod nemini odium aut invidiam moveat. En habes, unde profectae sunt illae artificiose et callide sed adversis auspiciis excogitatae et constructae linguae *Volapück* et *Langue bleue*, quae nihil citius ex undis saeculorum emerse runt, quam demerserunt.

Sed animus studiumque mortalium otiani nesciunt, tertiumque emicuit huiusmodi genus linguae, quae, ut eae quas supra commemoravimus, ius commune gentium arripere velit, quaeque a Zamenhof quodam (nolim laesum esse virum nomine false scripto, quod, si germanicum est, Samenhoff fortasse scribi debeat) excogitata, quum a plurimis amicis et sociis promoveatur, paulo prosperius illis duabus misere extinctis quodammodo crescere et divulgari videtur. Quam ob rem plura de hoc recenti conatu sumus dicturi.



Iam si inde a nomine huius recens commentae linguae ordimur, res ipsa sibi parum sperare videtur se diu esse victuram. Vocata enim est ab ipso auctore *Esperanto*, quod nomen, quum nisi a latina voce « *exspes* » (radix *spes* unde *spero*, *exspero* = *espero*), a nulla alia provenire queat, ipsa sibi perniciem et funus praedicet, quum quasi « *desperata* » suo ipsius nomine lingua appareat et illius tristis proverbii « *nomen omen* » nos admoneat. Qua in re utinam falsus vates sim. Sed tamen rem, si non se ipsa, attamen conatu nobili, quem initio indicavimus, probabilem diligentius explorare iuvat.

Primum omnium quodnam idioma, quae nam natura extera huius sermonis est? Sane, ut

ipsum nomen eius indicat, fere totus hic garnitus praecipue ex lingua latina, sed nobili et matura natura eius misere, ut iterum nomen ipsum corruptum docet, deformata, emanat (1).

Quid igitur? Solvere iubemur, ut mathematicorum sermone utar, ignotum *x* per ignotum *y*. Nam ex duabus linguis ignotis, si iam alteri studendum est, qua ut « *internationali* », ut volunt, utamur, ei studere, quis hoc neget? Praestat, quam, uteunque est, viri docti per orbem terrarum noverunt et plurimi iuvenes semper adhuc discunt et colunt, quae est lingua latina, quae etiam facillime quaesita illa lingua « *internationalis* » nuncupari et esse potest; modo prudenter, apte, ad usum vitae quoque accomodate in scholis tractetur et discatur. Ubi autem linguam latinam, illud *y* cognovimus, quo consilio et quem ad finem etiam illud *x* (esperanto) solvamus?

Ita sane est. Si iam nulla lingua, ut supra demonstravimus, universa omnium fieri potest, sed solum lingua *iis* quaeritur, qui commercia quaedam litterarum, artium, artificiorum, mercaturae, etc., iungere cupiant, aut fortasse voluptatis causa migrationes suspicere velint, numerus eorum, qui scholas frequentant, ubi linguam latinam discunt, nunc iam est tam magnus, et mox fieri potest adeo maior, ut facile ubicunque terrarum sive in urbe sive in vico invenias aliquem magistratum, medicum, sacerdotem, artificem, alium denique privatum virum, qui latine tecum quoquo modo colloquatur et necessaria explicit aut monstrat.


Neque mirum. Nonne enim, ut fuit olim, eadem lingua latina est aliqua ex parte etiam nunc inter artium aut litterarum studiosos via et ratio fructuum communicandorum, quos ingenium et indoles animi humani genuit aut gignit? Nonne etiam nunc pulchrum hoc et una ex parte commune universum vinculum gentes probe conciliat — equidem gentes fidei catholicae per orbem terrarum addictas, quae in rebus fidei communibus linguae latinae nihil repugnant?

Neque suspicor esse quemquam, cui hoc quoque, propterea quod sit vetustum, displiceat, aut qui alia de causa minus fortasse proba etiam hoc antiquare et delere in animo habeat

(1) Ecce specimen huius depravatae latinitatis: « Legendo. — tradukito et verko de H. Sienkiewicz „. — „Ho, nokto printempa, mallauta, rosa, plenigita de flor-odoro kaj argental.. Super Olimpo nagas la luno plena.. — Equidem puto idem et hoc modo scriptum intelligi posse: noktos printempos, mallautos, rosos plenigitos dos floros-odoros kajos argentos... Superos Olimpos nagos las lunos plenos..»

Grammatica et forma hoc modo multo facilior erit: — nihil declinationum, nihil generum, nihil syntaxeos. Si iam res simplificanda, — simplificator...

Utinam et sine voce et vocabulis homines inter se colloqui possent! Heu! non datur.



et linguam romanam ex ecclesia et fide catholica auferri velit (1).

Dummodo igitur, ut supra dixi, doctrina eius ad rerum et temporum necessitatem rectius aptetur, lingua, quantopere fieri potest, universa est parata et exsistit et rerum novarum studiosis (nam aestu novitatis maxime haec tempora laborant novaeque res vel ineptissimae, quoniam sunt novae, maxime placere solent) plane satisfiet. Et quidem quam pulchre satisfiet! Nam, si comparamus linguas, quaenam lingua, quamvis callide ex lingua latina fabricata, pulchritudinem eius, amoenitatem, varietatem, opulentiam formarum, vim invictam logicam attingere et aequare potest? Heu! misellam illam formulam «desperatam» coram magnifica splendida hera romana! Heu mutilatam, pannis vix vestitam, paene nudatam degenerem filiam nobilis ampla insignique toga amictae matris! — Num quis eorum, quibus complures linguae sunt cognitae, dubitet, quin, quo ditior, cultior que lingua sit, eo ditiores, cultiores, ampliores sint imagines cogitationis, quibus exprimantur ea, quae mens animusque humanus fovet et in lucem proferre vult? Quis non perspicit quo abundantiores sint formae propositionum, eo perfectius distingui et extenuari posse varias species cogitarum rerum, quas cum aliis comunicare velimus?

Quae omnia si quis respiciat, nonne comparatis ambabus linguis exclamabit: *Parturiunt montes, nasceretur ridiculus mus?*



Neque tamen vituperatos esse velim eos, qui eiusmodi ludum novum exquirunt eoque delectantur. Utut est, tempus honestiore modo, id agentes, consumunt, quam si rebus minus laudandis teratur. Quamquam quanto gratiorem et dulciorum fructum carperent, si tempus et operam excolendae perfectiori linguae latinae atque divulgandae navarent! Sed sit sua enique voluntas: ludant, delectentur, modo ne auctoritatem linguae latinae subruere studeant, non quo timendum sit, ne hoc iis contingat, ut eam reprimant abrogentque, sed quod rei novitas, his temporibus iuvenes quoque athenaeae frequentantes ab officio abstrahit non sine magno damno; id quod etiam magis ab alia parte est damnandum, quum plurimi profani reperiantur, qui, quum dignitatem et utilitatem, quam studium linguae latinae et rerum romanarum cuique praestantissimo viro litterato (2), cuique optimo civi attulit atque affert, aestimare, ut debet, indocili ingenio nequeant, hanc linguam omnino ex scholarum programmate extorquendam clamant. De quorum quidem docilitate, natura, clamoribus fortasse illud sit aptum: quamquam sunt sub aqua, sub aqua maledicere tentant.

Quid autem maxime ab imperitis rerumque expertibus extollitur in hoc garritu *esperanto*, ediscendo? Brevi tempore eum superari, edisci

(1) Nolo rem hanc manifestius attingere; sunt tamen, quae me angunt ne ea quoque sint causa linguae latinae depravandae.

(2) Quid, ut ex nostratis exemplum sumam, tantopere profuit Mickevicio, Sinkevicio, aliis, ut scriptores excellentissimi et per orbem celebratissimi fuerint? Mickevicium constat latinam quoque suo tempore scripsisse odam nobilem post captum Burnersundum. Cur latine? ut eam "internationalem" redderet.

posse vociferant — inter dies aliquot, inter menses tres, binos! — Sane: ut quae res est miserima, ita ad emendum facillima. — Cui tamen? Qui in marsupio pecuniam habet. Quaenam autem hic illa pecunia necessaria? — Lingua latina est aliaeque ex aliqua parvula parte, quas omnes si prins cognitas habeas, iam tum brevi tempore *esperanto* discas: tum scilicet *x* per *y* soluto, recte dices facile et celeriter rem aedificari posse; nam, quantum temporis ad parandum fundamentum consumpseris, imprudens non addis.

Sed et hoc gratum, se ipsum nonnunquam ludificare!...

Varsaviae Polonorum.

I. WABNER.

VOX URBI PALAESTRA

FRAGMENTA CICERONIANA

Cicero qua fuerit animi inconstantia.

INTERDUM accedit ut viri, alioquin ingenio praestantissimi, animo tamen aut certe iudicis atque sententiis, non multum aut nihil omnino sibi constare videantur, sive id suo eorumdem vitio, seu rerum ac temporum vertendum est. Quod quidem profecto de M. Tullio Cicerone haud immerito dixeris.

Is, equestri loco natus, ob summam et doctrinam et rei publicae gerendae prudentiam, amplissimum dignitatis gradum est adsequutus; quamquam, ut quidem mihi persuadeo, magis sibi excellentiam, quam rei publicae salutem exoptavit. Atque etiam ea de re fortasse factum est ut non eamdem semper in publicis negotiis rationem et viam asciverit, sed modo hanc modo illam prout maioris aut gloriae aut felicitatis esse videretur.

Neque alium in iis quae ad doctrinam pertinent se praestitit Tullius, quippe qui per occasionem eamdem rem ac disciplinam et extulerit et depresserit. Ita in philosophia, quae ad vitam moresque pertinet fere sectatur stoicos; hos in oratione pro Muraena Naso suspendit lepidissime. In eadem oratione muraeniana iuris dicendi facultatem, quae apud romanos usque ad ipsius Tullii tempora primas semper post eloquentiam obtinuit, nullius extimationis esse contendit: in I de Officiis 21, haec habet: « Longe fortius est in rebus civilibus excellere quam in bellicis »; et in poëmate, quod inscribitur *De consulatu et temporibus meis*, canit:

Cedant arma togae, concedat laurea linguae.

Poëtas in Archiae defensione summis cumulat laudibus; in primo libro *de natura deorum* vituperat. Denique philosophiae laudibus eiusdem opera redundant omnia, qui quum philosophiam a graecis traditam latinis mandaret litteris, lectori se quodam modo purgavit, quasi male insulseque otio abuteretur.

In cuius rei causas si inquiras, invenies trecentas, sive ingenium romanae gentis atque ipsius Tullii perspectum habes, sive eiusdem

industriam et fori opportunitatem. Ac romani quidem ita erant natura comparati, ut toti essent in rebus, quae praesentem utilitatem maxime afferrent, despicerent artes, in quibus graeculi homines summam et ingenii et industriae laudem essent consequuti. Ideo praeter armorum potentiam parvi omnia facere, nisi forte excipias agrorum cultum et iuris scientiam, quae summo semper apud ipsos in honore fuit; indigentes deos non habere nisi rusticos; ipsam, quae graecis est σωρόσυνη frugalitatem appellare. Id igitur actuosi et frugi homines sedulo caverant ne graecorum hominum deliciis pedetentim allacta in mollius vitae genus prolaberetur romana iuventus. Haec ad causam pertinent quamobrem et poëtae et oratores interdum necessitate ferantur ut propriae genti morem gerant, interdum libere suam appetant sententiam tueanturque. Quod idem ipsi accedit, credo, Ciceroni, de variis praesertim et artibus et disciplinis tum ex sua ipsius tum ex populi romani sententia, disserenti. Ut quem philosophiae laudes vel poëtarum suscipit patrocinium, quis dubitet eum loqui ex animo? quem tamen paulisper, saltem specie et verbis, a propria opinione discedere coëgit interdum romana rusticitas. Illud etiam accessit causae, quod ipsius Tullii non una semper in eadem re fuerit sententia; sed ingenio morosus et paene abnormis, idemque inanis gloriola cupidus, ut eam aliis per occasionem modis rationibusque fere occuparit. Neque etiam non forensi industriae summi oratorum principis id acceptum est referendum, quae hominem ad diversa aut efferenda aut deprimenta impulit, ut quam arctissimis adversarium implicaret nodis eumque superaret iudicio.

Ex Lyceo, cui nomen a C. Beccaria, Mediolani.


I. B. PESENTI.

VARIA LATINITAS

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Sero sapiunt Phryges.

Hoc proverbium ex vetustissima tragœdia Livii Andronici mutuo sumptum est, quae inscribitur *Equus Troianus*. Usurpatur a Cicerone in epistolis familiaribus, et convenit in eos, quos stulte factorum sero poenitet. Siquidem Troiani, tot iam acceptis cladibus, vix decimo demum anno de restituenda Helena consultare cooperunt: quam si statim initio reposcenti Menelao reddidissent, innumerabilibus sese calamitatibus subduxissent. — Adagium refertur etiam a Festo Pompeio proverbi titulo. Demades — auctore Plutarcho — dicere solebat Athenienses nunquam decernere pacem nisi pullis vestibus indutos, innuens eos bellandi cupidiores quam sat esset, nec nisi clade suorum admonitos de pace cogitare.



DUO MAGI

(SANCTI MARCIANUS ET LUCIANUS)

CARMEN FRANCISCI SOFIA-ALESSIO MOLOCHINI IN CERTAMINE POETICO HOEFFTLANO ANNO M DCCCC VII

MAGNA LAUDE ORNATUM

Multa loquebantur magica super arte sodales
Ex Asia duo, qui facinus patrare parabant.
Artis erat quondam magicae fraudisque peritus
Lucianus; magicae pollens cantamine musae
Marcianus; Triviae crudelis uterque sacerdos.
Illi pestis erant, stolidi duo fata popelli.
Constiterant, vergente die, vetus ante sepulchrum
Hannibal: tumulum mirans haec protulit ore
Lucianus: - Ducas ossa iacent hic arida Poeni,
Qui gladio toties Romanos fregit in armis.
Scilicet arma valent, decorat victoria fortis;
At patet, in sacris Triviae, non cedere telis
Arma magi: penetrat magicus vigor omnia: saepe
Carmine cantatam caelo pallescere lunam,
Ac sylvis vidi frutices frondescere siccios.
Atra, volente mago, glomerantur nubila caelō,
Et mutata suos requiescunt flumina cursus;
Blanda movent animos doctorum carmina vatuum,
At potiora quidem magicae cantamina musae
Vel manes imis possunt excire sepulchris.
- Nos amat, atque aperit Dea nobis abdita rerum, -
Alter ait, - Triviae sacra sunt penetralia nostra,
Ac Dea non levium praebet spectacula rerum.
Undique deveniunt scitatum oracula cives;
Nos adeunt ipsi pueri, innuptaeque puellae,
Nos adamat semper mulier pulcherrima quaeque,
Ipsa petit nos casta puella micante labello,
Nescio quo noster visus cito fascinat illam. -
Interea trepidans transit per strata viarum
Virgo pudica quidem, taedasque perosa iugales:
Oultus nullus adest; flavo decus enitet ore,
Apparent vultu longae vestigia curae.
At velox oris niveum iam flamma colorem
Lambit, iam subitus teretes tremor occupat artus.
Cernit Virgo magos, demittit lumina casta
Obvertens faciem, passu tenet alite cursum.
Ut cum forte duos caelo videt alba columba
Vulturios, celerique fugit tremefacta volatu:
Nigrantes horret formas, et, corde micante,
Radit iter liquidum volucris, neque commovet alas.
Lucianus loquitur laetus, subeunte puella:
- Pol' - ait, - exilis tangit muliereula corda,
Nescio quae spirat gradiens opobalsama circum.
- Proh! pudor, - alter ait, - defixus semper in uno
Haeres obtutu, neque dat tibi cura quietem.
Quin age: vim magicam nunc experiamur in ista
Virgine, quae tanto laceravit vulnere pectus. -
Florius occurrit quidam loquitantibus illis:
- En, - ait, - adsum; vos iubeo salvare, sodales. -
Huic illi: - Faveant tibi semper Numina, Flori;
Admiranda quidem mulier spatiatur in urbe,
Vidistin modo forte domum remeare puellam?
- Vidi; me mulier limis aspergit ocellis. -
Lucianus tum: - Te mulier fastidit, et odit:
Subridens hac nocte petet nos ipsa puella,
Languida pulsabit Virgo mox ostia nostra.
- Falleris. - Haud fallor. - Christo dat thura puella.
- Quid mihi garris? Quid valeant cantamina scisne?

- Christiadum genus acre cave sis. - Dic mihi sodes:
Quid nocet ista pecus damnato de grege Christi?
- Christicolae validi sunt, propositique tenaces;
Inconcussa, velut rupes scopolosa, manebit
Virgo. - Tace sis; vix possum compescere risum.
- Nil, mihi crede, iuvat te vertere seria ludo,
Cum de Christicolis agitur. Conabere stulte,
Nullum duces de Christi cultrice triumphum.
- Nil reliqui faciam; mox Virgo candida cedet.
- Illa quidem plena Christum veneratur acerra.
- Frustra: vel caelo possum deducere lunam:
Adsis; iam tempus Divae dare thura triflori.
Mira tibi retegam: dubitasne? age, frater, eamus. -
Interea rutilans nigro micat aëre Vespa,
Et viridi quandoque queri de stipite coepit
Lucifugus bubo: subeunt penetralia prima
Nocte magi, precibus Triviam exorare parati.
Non Triviae surgit pario de marmore templum,
Hic latebrae caecae nigrant, ac lustra ferarum,
Atris quae celant tenebris proscenia vitae.
Aedicola positum solido de marmore signum
Eminet: hic Hecate manibus gerit horrida taedam,
Sanguine foedatam sicam, rigidumque flagellum.
Terribiles visu formae stant limina circum,
Intrepidique canes, importunaeque volucres.
Hic tumidae colubrae sinuosa volumina torquent,
Adsunt herbarum latices, ac pocula nigra.
Circumstat nox alta silens: en mascula thura
Tradit Lucianus foculo; crepitante favilla,
Flamma furit circum prunas, altaria fumant,
Tergeminum densa tegitur caligine signum.
Tempus erat cubitum discedere: nocte silenti
Sola precabatur submisso poplite Virgo,
Sola domi flebat spoliatam lumine matrem,
Supplice pupillae resonabat murmur celta.
Fundit Virgo preces, et dicit carmina Christo,
Mox artus placido ponit tranquilla cubili,
Stertit. Qualis avis peregrina, laboribus actis,
Vespere subsidit, viridi vix pipilat agro,
Deversoriolum legit, et sub fronde madenti
Sola quiete levat se, iunctis molliter aliis.
At magus insomnis magicas se accingit ad artes,
Auxilioque vocans Hecaten et Erinnidas hirtas,
Lucianus, flexis genibus, sic ore precatur:
- Diva trifloris, ades, supplex tua numina posco,
Huc, quaequo, defer formosa fronte puellam.
Tu, Dea, sola potes sanos avertere sensus;
Surgat amor, peredat maestas nunc cura medullas,
Ac flagrant calido salientes sanguine venae.
Huc fugiat Virgo velox, ut saucia cerva.
Eripe, Diva potens, sensus, ac vincula necete.
Huc ubi contulerit sese, mactabitur illa.
Sacrificare iuvat validum nunc rite molossum. -
Sic fatus ferit ense canem, pateraque cruentum
Suscepit, ac resecat fumantia viscera cultro:
- En - inquit, - trado rapidis praecordia flammis.
Haec ut flamma micans flagrat, volitante favilla,
Luxuriosus amor sic flagret corde puellae.

Te precor, obsecro, Dea, te per Numina Averna.
Quid dubitas? age, Diva potens, adduce puellam.
Christicolasne times? quis te remoratur in Orco?
Aspice: se tollit, linguis vibrantibus, ignis:
Nescio quid certe est, strepitant animalia circum,
Diva, bonum sit!... quid tu, Diva, tremiscis et horres? -
Nec plura his. Triviae signum, mirabile visu!
Tum transversa tuens concusso vertice nutat,
Fumida fax tremit, et gladius, rigidumque flagellum,
Insolitusque labant impulsae motibus aedes;
Circum tecta fremit magno cum murmure ventus,
At vigiles ululare canes, dare sibila serpens.
Ingens per latebras vox exaudita silentes,
Haec dedit illa: - Deus me cogit cedere terris,
Ex animo servit Christo fortissima Virgo;
Iam victor Deus ille suo dominatur in orbe. -
Tunc omnes trepidare metu, pallescere vultus,
Importuna queri ferali carmine bubo:
Tres circumspiciunt iuvenes terroribus icti.
Interea molli requiescit Virgo cubili:
Tum variae illudunt species, ac larva sinistra,
Tum pravus puer ante oculos astare iacentis
In somnis visus: distorquens labra cachinno
Sustinet ille crucem palmis; at turpia membra
Crux gerit: humanum, clavis in stipite fixum,
Pendet corpus, cui cervix asinina caputque
Auritum. Praebens hominem sic umbra locuta:
- Ecce pecus; maerens quid muttis carmina Christo?
Desine, desine iam pecudi dare thura sinistra.
Pone metum, Virgo, capiat te blanda voluptas. -
Protenus in somnis gemitus audire videtur
Virgo sibi; linquunt subito mala gaudia mentem.
Respicit illa, videt passis lugere capillis
Quandam: tum: - Quid - ait, - mulier maestissima
fluges? -
Agnoscit matrem, quae voce silentia rumpit.
- Ad te, - mater ait, - me Christus mittit ab alto,
Luteolosque tuos cupio mulcere capillos.
Perge tenere viam, quam te docuere parentes,
Tu ne cede dolis, Christi documenta revolve,
Ac venerare crucem, maduit quae sanguine divo.
Gaude, te Christus servat, Deus ille, puella,
Sospitat insontes animas, ac pectora firmat.
Emeritis dabit in caelo stipendia Christus.
Num dabit alter? te iubeo sperare salutem;
Funde preces, vigila; te sede tuebor ab alta.
Tum Virgo lacrymans: - Quibus - inquit, - mater,
fab oris
Exspectata venis? ades, o fidissima custos,
Te queror extinctam crudeli funere, mater,
Infelix vivo sine te, luctuque labore.
Advigila; duris mihi da solatia rebus!
Tu docuisti me dulcissima carmina Christi,
Numen eris mihi tu semper; dum vita manebit,
Te, veniente die, te, decadente, vocabo. -
Ampli matrem virgo cupit, atque repente
Excuditur somno, trepidat confusa cubili.
Tangit humum genibus palmas ad sidera tollens,

Atque crucis rigido dat dulcia basia ligno.
Supplicat ore Deo pro religione puella,
Pro miseris orat Christum, curaque remorsis.
Mane novo surgens Aurora rubescere coepit:
Surgere tum volucres, pulli cito currere lusum,
Vocum mille canor gelidas resonare per auras.
Candidiorque nive, et spuma carentior alba
Exit tum Virgo caelo fruitura sereno;
Atque magi divam viderunt forte puellam.
Laetus uterque fuit, mitescere coepit uterque,
Nescio quo mutata virum sunt corda duorum.
Florius adridens plena tum voce: - Quid? - inquit, -
Nonne est Christiadum genus insuperabile? vicit,
Ut monui, Christus, vicit formosa puella. -
Marcianus tandem caelesti numine tactus
Sic ait: - Insolito pulsantur pectora motu;
Atque suos homines mores mutare videntur.
Iam nova progenies terrarum pullulat orbe.
Religione patrum multos decorata per annos
Templa Deum squalent, plebecula fana relinquunt,
Ipsa cadunt templis veterum simulacula Deorum.
Miror quod lucis Daphnes arescere coepit:
Illic non merulis resonant arbusta, nec ullus
Luscinius maerens modulatur carmina nocte.
Deseruere nemus nymphae; viridaria squalent,
Nec violae pratis, nec candida lilia crescent.
Conticuit, neque dat Delphis oracula Phoebus.
Infremit ore magis solito furiosa sacerdos,
Nec consulta potest responsum reddere sacrum.
Lingua retenta iacet, vatis vox faucibus haeret.
Mens mihi summa quidem populos agitare videtur.
Omnipotens orbem terrarum Spiritus afflat,
Lumina convertunt gentes ad tempora serena.
Ignatum quoddam coluerunt Numen Athenae,
Num sapiens Graecus praesensit Numina Christi?
Discere sacra velim, Christi documenta sacerdos
Nos aliquis doceat, properemus adire magistros
Sanctos: Christe, fave mihi! - Tum magus alter: -
(Eamus, -
Inquit, - nescio quos mihi Christus suscitat ignes,
Saeviat, ac nobis Praetor succenseat acer. -
Sic ait, et maesto defixus lumina vultu
Carpit iter, sociique probi comitantur euntem.

DE S. IOANNIS BAPTISTAE CINERIBUS

BAPTISTAE OSSA, ex ea usque die, qua, Salome expetente, caput eius abscissum est, in uno eodemque sepulcro quievere nunquam. Pro temporum enim varia opportunitate et pro avida et inquieta fidelium devotione hic vel illuc translata, Macherunte ex urbe ad Sebasten, deinde Alexandriam, Miram in Asia Minori, heic a Ianuensibus crucis militibus capta, octavo abhinc saeculo eorum in dominium venere. Sed in reditus limine, acri oborta inter duces aemulatione de deducendis in unius cuiusque patriam sacris cineribus, divisae exsuviae sunt atque singulis navarchis singulæ thecae datae. Traditur autem, tetrica medio in mari procella oborta, nullum sedandis aquis fuisse remedium, nisi cineres ex variis navibus in unum iterum colligerentur, quo modo Ianuam sunt delati.


Variis autem temporibus variae fabrefactae sunt arcae ad sacros cineres reponendos, vel ad eos in sacris pompis deferendos per urbem. Antiquissima porro est lanx e calcedonio lapide pretiosissima, auro cincta, in qua pie fer-

tur caput Ioannis abscissum fuisse reclinatum. Aurea catenula lancem dividit, cuius in medio Ioannis caput auro insculptum eminent; circum autem verba leguntur: *Inter natos mulierum non surrexit maior*. Orientalium artificum modos et stylum facile lanx ostendit. Ex oriente enim milites e Balu gente illam in Galliam detulere: mox autem ex ea gente pater quidam purpuratus Innocentio VIII Pon-




S. Ioannis Baptista simulacrum
a Iacopo Sansovino Florentino exsculptum
in Ianuensi metropolitano templo.

tifici dono dedit, ac Pontifex ad Ianuenses misit, ut suo in metropolitano templo servarent, ubi Ioannis cineres summo iamdiu honore colebantur.




Antiquissimam hisce servandis aream, paucis hodie notam, tradidit forte Fridericus Oenobarbus, Romanus Imperator et Germanus rex. Quadrata forma patet; operculus tecti similis. Est autem ex aurato argento omnis atque tum circum parietes tum per operculum insculptas ostendit sanctorum imagines, Ioannisque gesta et mortem. Adest et Iesu effigies et Elisabeth; omnes more Byzantino effectae.



Altera capsula, eaque ditissima et longe eleganterior ac maior, ex argento tota est, gothicis stylo, saeculo XV a Ianuensibus aurificibus Teramo Daniolis filio et Simone Caldera fabrefacta mirabiliter arte. Cuspidibus tota circum capsula renidet

et sanctorum parvis statuis miro modo insculptis. Ex omni latere autem vitris concluditur, per quae oculis ad sacras conspiciendas exuvias via patet. Innititur omnis arca submissis leonibus quatuor, atque annulis munita est, per quos trabes immittuntur, quibus sacerdotum humeris in sacris supplicationibus circumfertur.



Tertia postremo capsula est saeculo XVI formata, quae hodie sanctorum cinerum urnam contegit, praे omnibus lectissima simul atque ditissima. Ex argento haec pariter in formam quadratam exstructa, distincta tamen ornatis et concoctis coloribus effectis ex auro ac gemmis insertis. Sunt enim margaritae atque hyacinthi fere sexenti, qui per omnem capsam refulgent. Vitra pariter in singulis parietibus infixa sunt; totaque theca delphinis insistit quatuor ex crystallo insculptis. In summa capsula argenteum Ioannis signum eminent, Florentini, ut appareat, scalpri opus.



Praeterea habentur marmoreae arcae duae, in quibus sacra lysana seditio tempore concludebantur, quarum prima vetustissima est anno MCCCXXIII insculpta et imagines et gesta Praecursoris circum ostendit; altera a Hieronymo Drago Ianuensi sculptore anno MDVIII excavata fuit.

Singulae autem arcae, sive argenteae, sive marmoreae, suae aetatis stylum et modum apertissime ostendunt, atque cinerum Ioannis historiam quodammodo documentis civibus et advenis varia sua et distincta pulchritudine tradunt, testantes Ianuensium pietatem, qua illi ab antiquissimo crucis militum tempore caelestem Patronum suum unanimes coluere semper.

EX BATAVIA

De certamine poetico Hoeufftiano
in annum MDCCCCVIII indicto


A. d. V Id. Mart. in concessu Ordinis litterarii iudices de XXX carminibus sibi missis hunc in modum rettulerunt.

Carmina In laudem Humberti I, Humaniores litterae instauratae et ad Hugonem Edmundi de Amicis filium iusto serius accepta in proximum certamen adservabuntur.

Carmina inscripta Rivus, Nevia, Pax ob nimiam metrorum insolentiam statim seposita sunt.

E reliquis undecim propter formae vel rerum debilitatem multifariam minus placuerunt, quae per gradationem a minore sic ordinavimus: Carmen parochi valedicentis, Dolor docet, Marinum ad hospitium, Conditiones temporum, Aegon, Bettulia ab obsidione liberata, Lacrimae, Certamen singulare, Poeta et Ianus, Caecus et surdus, Nais novissima.

Sex carmina, Italiae Pannoniaeque musea, Nautica pyxis, Ad matrem, Delia, Fumus, et imprimis Rex Veientium, vix ullis formae vietiis dedecorata, inventionis lepore et argumenti



Ianuensis metropolitani templi sacellum ubi S. Ioannis Baptistae cineres reconditi sunt.
(Photographice expresserunt FR. ALINARI, Florentiae).

tractatione aliquis virtutibus sese satis commendarunt, sed postponenda tamen erant his septem carminibus: Λαυπαδηφορία, Duo magi, Ancilla, Rusticatio, Excidium Correrianum, Ultima linea, Rufius Crispinus. Horum postremum *Rufius Crispinus*, cuius auctorem se professus est Ioannes Pascoli, Bononiensis, prae-mio ornatum est. Reliqua in lucem prodibunt, simulac aperiendi schedulas veniam a scriptoribus impetraverimus, quam dederunt iam autores *Ancillae* Ed. San Giovanni, Neo-Eboracensis, *Excidii Correriani* Franc. Xav. Reuss, Romanus, *Ultimae lineae* denuo Ioan. Pascoli, Bononiensis et nuperrime etiam *Rusticationis* P. Rosati, Bononiensis et *Duorum Magorum* Fr. Sof. Alessio, Molochinus in Calabria.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati nec quinquaginta versibus breviora nitide et ignota iudicibus manu scripta, sumptu suo ante Kal. Ianuarias proximi anni mittant ad *Hermannum Thomam Karsten*, Ordinis litterarii Academiae Ab-actis, munita sententia, item inscribenda schedulae obsigna-

tae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transcribendo portabile prelum Britannicum (*typewriter*) adhibere velint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadrigentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur, eique subiungentur alia laude ornata, quando schedulae aperienda venia dabitur.

Exitus certaminis in consessu Ordinis mense Martio pronuntiabitur, quo facto schedulae carminibus non probatis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami.

H. KERN
Ordinis Praeside.

DE NIGRITARUM RELIGIONE IN AMERICIS.

NIGRITARUM gens sive Africam colat, sive Americam, infantium ritu adhuc vivere cogitur. Nec enim alterum effluxit saeculum, ex quo adhuc silvestri modo per Africae silvas

nigritae viverent; at duo quidem saecula ad populi humanitatem funditus renovandam satis non sunt, idque eo magis si diurna servitus antea viguerit. In Americis antem quisquis nigrita et mente rudis est, et sensu fervidus, et animo infirmus, et prudentia vacuus, quae vitia aegre admodum atque perraro diurna institutione emendantur.

Sed iam servitutis tempus, quod est exactum, ad nostros aemulandos excitavit nigritas; qui tamen infirma passim virtute et mente incerta vivunt, licet heroica facile gesta nonnulli perficiant.

Europaeorum enim humanitas nonnisi levissime nigritas hue usque vellicavit; itaque et privatis moribus et publicis et ipsa religione nonnisi barbaro adhuc ritu ipsi vivunt nullam humanitatem praeseferentes.

Ecquid mirum? Nigritae in Americam ad ducti religionis ritibus illis utebantur, quos primaevos in occidentalis Africae litoribus videre est.

Naves enim Afrorum qui ad meridionales Americae oras appellebant, nigrum, quem gestabant, gregem in servitutem vendebant per saccarios latissimos agros, ubi omnes plane servi et barbari vivebant atque ideo suis superstitionibus semper addicti.

Colebant profecto colubres, et veluti sacra animantia adorabant, eorumque cultum cum christianis multis caeremoniis, quas corrumpebant, commiscuere. Neque secus de magicis artibus et de similibus furfuris contigit. Quare viget etiamnunc in Americis nigritarum quae-dam factio, qui Alabama in silvas convenient et pastorem suum balantes sequuntur, donec tempulum ingrediantur eiusque sermones audiant.

Unum enim est inter nigritas vinculum, unus studii stimulus, sua ecclesia: quamobrem in australibus regionibus quisquis iam nigrita ad ecclesiae ritus alacris accedit. Sacer autem concionator multam apud eos nanciscitur auctoritatem, qui ut veteri ex haruspice, suum derivavit munus; ita per saccarina sata peragratur tamquam medicus, doctor, solator et vindex miserorum, qui aridos per sulcos desudant. Factus deinde ecclesiae pastor, non animis tantum praeest, sed viribus corporis; interdum immo in publicae cuiusdam factionis bonum studia et opera sua convertit.

Religiosi autem nigritarum modi eorum sensus maxime commovent. Ipsa enim concionatoris vox, et sacri musices concentus animum plebis vehementer exagitant. Quamobrem non semel accidit ut oppressis somno musices notae melius quam verba documento essent et ad nova studia compellerent, qui iam labore fracti somnoque perdomiti iacere viderentur. Tunc enim excitatis animis voce et clamore et omni motu corporis maxime incomposito et saltu et gemitibus populi pietas prodiit amplissime; mulieres vero ita commoventur sacra febri, ut rigidae ad solum etiam procumbant obstupescen-tibus circa sodalibus, qui eas caelesti visu perfrui credunt.

Sed et aliud Davenport doctor narravit, specimen huiusmodi « collectivae suggestionis », prouti nunc vulgo dicitur, adducens. In oppido prope Tennessee nigritae evangelii praeconi donum erat offerendum. Qui vero pecuniam ad

res collegerat, inopinato fugit depraeclatosque cives nulla mora reliquit. Post vero aliquot dies arcarius ille infidus rediit, vocatusque in templum est ad iudicium. Ecce indicta die venit populus, culpa proclamata est, reoque spatium ad defensionem datum. Ille suggestum quum concendisset hisce prope loquutus est: « Iure me incusatis, fratres; peccator sum eternim. At omnes peccatores sumus, monetque deus peccantibus septies ac septuagies dimitendum. Atqui ego nondum totidem culpas admisi; vos igitur ut mihi parcatis rogo. Quisquis autem ex praesentibus mihi ignoroscere cupiat aeat, et manum tendat, et cantet Domino mecum ». Et statim hymnum quum fur ille esset exorsus, omnis incusantium turba una concinit, eumque crimine absolvit.

Caelesti enim gaudio repleri sese posse nigritae autumant, idque praesertim quum in modos incompositos et pulsato pede, et clamoribus prorumpunt infantium more, et suos omnes sensus incredibili corporis motu appetiunt.

Itaque sacrae choreae sunt apud nigritas passim usureceptae; quae, quum nimis aequo productae fuerint, tantam in sensibus laetitiam ingerunt, ut facile ad deliquium audientes usque concidentur, quod non semel inter nigritas accedit. Tuti imo hoc putant concionatoris eximii praesagium. Quamobrem frequentissimi olim apud Americanos nigritas sacri oratores erant, neque senes adhuc desunt praecones, qui et voce et strepitu plebem sese posse emendare confidunt.

Ieiunandi quoque mos late apud eos invaluit. De se narrat nigrita doctor Walkerius, civis Neoeboracensis, quum terrae cultui operam daret, intimo vocatum motu agrum deseruisse, silvamque proximam ingressum, ibi ieiunum et sitientem et solum triduo mansisse, quoque sese conversum in doctorem senserit.

Dura enim necessitas ieiunare multos iubet; at fames nigritae nihil aliud est nisi modus habendi felicissimos visus et divinam prope animam acquirendi.

Verum ab hac fide mores nigritarum longe aberrant. Nonne enim in diario quodam haec recens haereticus nigritarum episcopus scribebat: « Per Christi mortem et resurrectionem ita redempti sumus ut et mentiri et furari et festos dies profanare et interficere liberi possimus, et tamen, Christo duce, Deo potiri et caelo »?

Rudes itaque adhuc huius populi mores, quos tamen evangelii semen, paullatim ad lucem deductur et veritatem sperandum est.

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Sacra Poenitentiaria.

Sacrae Poenitentiariae plura dubia proposita sunt circa emptores bonorum ecclesiasticorum in Gallia a gubernio in publicum additorum; quae quidem Sacra ipsa Congregatio explanavit prout sequitur:

I. Utrum civitatis Consiliarii eorumque Maior, qui bonum quoddam certo religiosum, non in propriis sed in communes urbis usus acquisiverunt, certo su-

biaceant excommunicationi latae a concilio Tridentino (Sess. XXII, c. XI *de Reform.*), et confirmatae a constit. *Apostolicae Sedis* (IV Alin. *Præter hos...*)? — Resp. Negative.

II. Quatenus affirmative, utrum iidem Consiliarii eorumque Maior, in foro externo, tamquam excommunicati habendi sint ante declaratoriam Ordinarii sententiam? — Resp. *Provisum in primo*.

III. Quatenus negative ad II, utrum ante omnem declaratoriam Ordinarii sententiam, iidem Consiliarii eorumque Maior, publico suo emptionis voto, et hoc unico voto, publice saltem peccatores constituti sint, et tamquam publici peccatores, opportunitate data tractandi, v. g. quoad ecclesiasticam sepulturam? — Resp. Negative.

IV. Quomodo practice agendum, in Sacro Tribunali, quum Maiore vel Consiliario, qui pertinaciter contendit se ullatenus nec voluisse nec potuisse Congregationi damnum inferre, siquidem emerit civitas, vel non emerit bona fuissent dissipata, simul vero contendit se unice fuisse de civitatis necessitate aut utilitate sollicitum? — Resp. *Confessarius de huiusmodi actu poenitentis iudicet, attenta quoque eiusdem conscientia. Moneat tamen eum in posterum, in similibus casibus, ipsum indigere facultate Sanctae Sedis, quam, si opus est, humiliter petat.* (Rescript. die IIII mensis Ianuarii M DCCCC VI).

V. An rescripti d. IIII mens. Ianuarii M DCCCC VI, resp. ad dubium I, de quo supra, ita sit intelligendum, ut excommunicatione non incuratur in casu, quando: a) votum a civitatis Consiliariis eorumque Maiore missum obligavit Maiorem ipsum ad emendum; b) bonum a Maiore sic acquisitum in propriis urbis usus est monasterium a religiosa communitate legitime possessum et ab eadem prorsus invita derelictum; a civili potestate usurpatum et a spoliatore seu sic dicto « liquidatore » pretio venditatum, vi nefandorum legum contra religiosas Congregationes in Galliis latinarum; c) sorores iniuste spoliatae atque in misericordia fere adductae totis viribus renituntur; d) bona fides difficillime admitti potest; propter denuntiatam per ephemeredes omniumque timoratae conscientiae virorum monita, excommunicationem?

VI. Rursus, quatenus negative (ad V scilicet), i. e. quatenus intelligendum sit excommunicationem in casu incurri, utrum iidem Consiliarii eorumque Maior, in foro externo, tamquam excommunicati habendi non sint ante declaratoriam Ordinarii sententiam, etiamsi publice constet de delicto?

VII. Utrum rescripti resp. ad dubium IIII ita sit intelligendum, ut dicti consiliarii eorumque Maior non habendi sint publici peccatores quando: a) publico suo emptionis voto et publica ipsa emptione maximum toti civitati scandalum intulerunt; b) emptionem ea mente pacti sunt, ut in monasterio iam spoliato puerorum scholam instituerent neutram, sene potius acatholicam; c) efficaciter ita prohibuerunt catholicos viros quin monasterium idem, obtenta iam tum Sanctae Sedis, tum Episcopi, tum Monialium ipsarum licentia, acquirerent ad catholicam in eo puerorum scholam restituendam?

VIII. Si, postquam civitas bonum certo religiosum in publicos usus emit, istud idem sive totum sive per partes vendibile proponit, utrum novi emptores, qui iam in propriis usus id acquirunt, excommunicatione supra dictae subiaceant?

Resp. ad V, VI, VII, VIII: *Quod spectat ad excommunicationem Tridentinam: in decisio, excepto casu recens proposito, de iis qui bona ecclesiastica usurpata emunt et in propriis usus convertunt, ut iam declaravit Congregatio Sancti Officii. Quoad casum vero tertium (i. e. sub num. VII propositum) videat Ordinarius an locus sit censurae contra faventes haereticis. Ceterum non impeditur Ordinarius quominus in casibus propositis utatur iure suo, et, si id expedire dicaverit, excommunicationem decernat in delinquentes*

futuros, vel latae vel ferendae sententiae. (Rescript. d. VIII mens. Martii M DCCCC VI).

IX. Quum civitatis alicuius Consiliarii, publicis suis votis, spoliatae cuiusdam Congregationis religiosae conventum et bona in publicos usus emenda decreverunt, quumque illorum Maior actu authenticō emptionem postea pactus est, utrum iidem Consiliarii eorumque Maior, ob illatam praedictae Congregationi iniuriam, ad restituendum « personaliter » teneantur?

Resp.: *Attentis omnibus, quae ad rem spectant, non constare de obligatione restitutionis.*

X. Quatenus affirmative, quid, quantum, quomodo restituendum?

XI. Rursum, quatenus affirmative, utrum unusquisque Consiliariorum « singillatum » ad totius danni reparationem teneatur, salvo tamen suo contra complices recursu?

XII. Et si nulla iam subsistat praedicta Congregatione spoliata, sive ob extinctionem, sive quamcumque ob causam, utrum persistat restitutionis obligatio? Ac quatenus affirmative, cui et qua mensura restituendum erit?

Resp. ad X, XI, XII: *Provisum in primo* (scil. dub. IX). (Rescript. d. IX mens. Maii M DCCCC VI).

XIII. Quum civitas, quae bonum ecclesiasticum usurpatum in publicos usus emit, istud idem sive per totum, sive per partes, vendibile proponit, utrum novi emptores, qui iam in proprios usus id acquirunt, ad restitutionem teneantur, ob illatam Congregationi spoliatae iniuriam?

XIV. Quatenus affirmative, quid, quantum, quomodo restituendum?

XV. Et si nulla iam subsistat praedicta Congregatione spoliata, sive ob dissolutionem, sive ob extinctionem, sive quamcumque ob causam, utrum persistat restitutionis obligatio? Et quatenus affirmative, cui et qua mensura sit restituendum?

Resp. ad XIII, XIV, XV: *Teneri huiusmodi emptores, ratione rei acceptae, ad restitutionem Congregationi, vel saltem Ecclesiae. Restitutionem vero fieri posse per compositionem, ad quam ab Ordinario admitti poterunt, iuxta facultates Eisdem a Sacra Poenitentiaria ad triennium concessas in adnexo folio typis impresso (1).* (Rescript. d. VII mens. Iunii M DCCCC VI).

XVI. Utrum excommunicatione subiaceat qui libere accepit munus alienius communitatis religiosae, secundum novam gallicam legem expediendi, vulgo *liquidateur*? Utrum eamdem excommunicationem incurrat scriba aliquis apud tribunal (vulgo *greffier du tribunal*), si ad id munus suscipiendum moraliter coactus fuerit, ne a sua publica functione deiiceretur? — Resp.: *Excommunicationem non incurre.*

XVII. Utrum unus et alter moriens, non receptis sacramentis Ecclesiae, sepultura ecclesiastica privari, saltem tamquam peccator publicus debeat? — Resp.: *Decisionem in singulis casibus spectare ad Ordinarium.*

XVIII. Quod si, e contra, sacramenta Ecclesia recipere valeat et velit, utrum restitutio aliqua ei sit iniungenda, cuinam restituere cogatur, et quantum solvere debeat, praesertim si fertilissimus fuit ei in dicto munere quaestus? — Resp.: *Quoad Notarios, ipsos non teneri ad restitutionem. Quoad liquidatores, non satis constare de eorum obligatione.* (Rescript. d. XVII mens. Septembr. M DCCCC VI).

(1) Prout liquet, folium idem Ordinario reservatum, publici iuri facere non datum est.

Unam semel, ad quam vivas, regulam prehende, et ad hanc omnem vitam tuam exaequa.

SENEC., Epist. XX.

Sis pius in primis. Nam cum vincamus in omni Munere, sola deos aequat clementia nobis.

CLAUD.

ACTA PONTIFICIA

LITTERAE APOSTOLICAE

ad Archiepiscopum et Episcopos Boliviæ, quibus Pontifex de hostilibus Gubernii Boliviæ in Religionem ausibus conqueritur.

VENERABILIBUS FRATRIBUS
ARCHIEPISCOPO ET EPISCOPIS BOLIVIAE

PIVS PP. X.

VENERABILES FRATRES,
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Afflictum prioribus acerbitatum caussis, equidem velimus animum Nostrum communicare vobis, levandarum curarum cupidi, solatiumque e patria vestra, quasi ex explorata religionis sede, petituri. Contra, vestris etiam in civibus, iisque maxime audentibus, qui cum reipublicae curatione vigilantem etiam de spirituali bono fovere debeant industriam, non modicam reperimus molestiarum intimarum segetem, unde plane Nobis sollicitudo cumuletur. Nam quae in antecessum natio non alium publice cultum nisi catholicum, pro reipublicae institutis, agnoscebat, ea in praesenti libertatem, quam dicunt, cultum sancire, ideoque pravitatum quoque religiosarum observantiam permittere non dubitat; vel ipso de civitatis Religione abrogato capite: quae antea meritam characteri sacro verecundiam custodiens, fori, quod aiunt, immunitatem clericorum ordini incolumem praestabat, ea nunc, rogata in comitiis lege, velle sese traditum hierarchiae privilegium posthabere patefacit: quae denique christiani matrimonii indolem ac dignitatem probe tenens, nativum propriumque Ecclesiae in christianorum coniugia ius verebatur, ea modo occupare nefario ausu hanc primam unius Ecclesiae potestatem contendit, et civilis, quod nominant, matrimonii contrahendi aut facultatem permittere aut etiam necessitatem facere cogitat. Vos quidem populusque intelligitis quantum in hisce legibus iniuriae sit in Ecclesiam, quantum incommodi moribus virtutique, quantum regressus a sincero salubrique nationum ac gentium profectu. Nobis vero persuasum est nec praetermisso vos antea iis omnibus eniti diligentis, quibus haec talia averttere a patria et a religione detimenta possetis, nec in praesentiarum omittere, sive universos, sive singulos, de inquis consiliis ac legibus conqueri. At Nos etiam conscientia urget officii, quibus, quum credita cunctarum gentium administratio sit, evigilare et eniti necesse est, ne quid christiana consociatio, cuiuslibet molimine et opera, damni persentiat. Itaque Nostrum in primis est sanctissima iura Ecclesiae revocare in memoriam, eaque nullius formidine potestatis confirmare, suadere ac tueri. Potissimum vero, quoniam privatum publiceque summopere interest, idemque immanum potest malorum a societate domestica et civili prohibere fontem, quale sit christiani coniugii ingenium edicendum arbitramur, quippe quod videmus et eorum qui praesunt excidisse ex animis, et fallacibus cessisse erroribus. Immemores enim indolis sacrae coniugii falsisque irretitos opinionibus eos esse

oportet, qui Ecclesiae, rogando leges sancient, occupare liberam de matrimonio provinciam moliantur. Constat namque apud omnes nihilque habet in christiana multitudine dubii, matrimonium in officium naturae a Deo conditum, a Iesu, humani generis Servatore et Restitutore, ad dignitatem Sacramenti esse eventum, ita quidem ut nequeat christianorum coniugium veri nominis quodpiam a Sacramenti ratione seiungi. Iam, Sacramentorum regimen et ius omni est lumine clarius unius posse intelligi Ecclesiae potestati subiecta, propterea que coniugi non quidem reipublicae permissae leges sunt sed ecclesiae, perinde ac sacrae cuiusvis rei, uni et soli servatae. Velle idecirco de christianorum matrimonio eos, qui civilibus praesunt negotiis, ius dicere, idem profecto est ac iura aggredi aliena remque conflare plane nullam. Ex quo fit ut qui e christianis coniugium audeant civili ritu contrahere, simulacrum contentur coniugii fingere, sacramentum autem adeoque verum solumque coniugium, non faciant, ipsosque, quos vocant, civiles effectus, irrito atque inani eorum fonte, iniuria adipiscantur. Haec quum ita sint, facere Nos nullo modo possumus quin iniustam et sacrilegam rem, quantum est in Nobis, doleamus, deploremus, improbemus, et sanctissima Ecclesiae violata iura, a regimine praesertim catholicorum prae se ferente nomen, publice conquesti, expostulemus. Spes tamen quae ope nititur auxilioque Dei, non omnis equidem effluxit, illudque placet confidere, ad meliora eos, qui Boliviae praesunt, consilia deflexuros, suum cuique tribuendo, quae civilia, Reipublicae, quae sacra, Nobis et Ecclesiae. Intelligent ii inducantque in animum publicarum prosperitatem rerum observantia Religionis iustitiae digni, sacrarumque verecundiam legum ad vendendas civiles etiam leges cum maxime conducere. Vobis vero, Venerabiles Fratres, quorum proximo e loco est curam gerere nationis, quum felices reipublicae res, tum adversas commendatas valde volumus; illas quidem prosperi firmandas exaugendasque, istas autem opere, studio, precibus, strenue propulsandas.

Auspice caelestium munera Nostra eque sive in vos, sive in universam Boliviæ rem publicam benevolentiae praincipuae testem, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ, apud S. Petrum die xxiv mens. Novembbris anno MCMVI Pontificatus nostri anno quarto.

PIVS PP. X.

DIARIUM VATICANUM

(Die xxi mens. April. - d. xx mens. Maii M DCCCC VII).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos antistites aliosque viros, qui sui cuiusque munieris gratia Pontificem de more adire, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem excusus vir Donatus Sbarretti, archiepiscopus Ephesien, legatus Apostolicus apud Canadenses, coram adducens Urbani Canadensis collegii alumnos; r. p. Ezechiel e SS. Corde Iesu, novus magister generalis Carmelitarum Excalceatorum cum consilio Ordinis sui; r. p. Hieronymus Pezzini, praepositus generalis

Congregationis Immaculatae Conceptionis B. M. V. cum consiliariis suis; diariorum scriptorum legati e Belgica stipem catholicorum civitatis suae Pontifici offerentes; Coloniensium peregrinorum manus; Francisco de Liechtenstein princeps; Emmanuel Multedo a consilio Hispanicae legationis apud Apostolicam Sedem; Lomer Gouin, Quebecensis provinciae in Canada minister primus; Carolus Cervia Marquez militum praefectus, legatus extraordinarius atque minister cum omni potestate Columbianae reipublicae, publicas auctoritates praebens ad suo munere fungendum; Bruno Chaves doctor, legatus extraordinarius atque minister cum omni potestate Brasilianae reipublicae; peregrinorum manus ex Austria; Emich De Leiningen Beligheim comes; r. p. Hippolythus Fehér O. S. B. ex intimo consilio Austrorum Imperatoris; Ludovicus Pastor, rector Instituti Historici Austrorum in Urbe; Eisler doctor eiusdem Instituti; Marius Chigi, princeps Urbanus eiusque frater Ludovicus; Philippus Naro Patrizi Montoro marchio, S.R.E. signifer; manus Anglorum peregrinorum Hierosolyma redux ab excmo viro Roberto Brindle, episcopo Nottingham, coram adducta; Consilium generale Ordinis S. Benedicti Romæ his diebus coactum ad communia negotia pertractanda; Alfonsus de Borbonica gente princeps; excusus vir De Szogyeny-Marich, Austrorum et Hungarorum legatus Berolini; Hiacythus Casaravilla, iuris doctor et Uruguayani publici coetus legibus ferendis legatus, cum uxore et liberis.

Pontificiae electiones.

Gustavus Provveduti, pontificii seminarii Leoniani de Urbe rector, inter antistites Pontificiae domus refertur.

— Ad Italiae seminaria invisenda utque coetibus episcoporum ad seminaria ipsa ordinanda convocata adsint delegantur insuper r̄mi viri Mauritus Galimberti, Urbani collegii Ghislerii rector, pro regione Cimina et Adulphus Giobbio, iuris doctor in pontificio seminario Romano, pro regione Aemiliana.

r̄mi pp. Antonius a Iesu ex Ordine Carmelitarum exalceatorum episcopus Calatanisiaden., et Beda abbas Praliensis ex Ordine S. Benedicti episcopus Cornetan. et Centumcellarum eliguntur.

ANNALES

Pax in inferiore America composita.

Pacis triumphos ante omnia recolamus. In meridionali enim America bellum, ut saepe assolet, inter gentes Iberico semine natas, Nicaragua inter et Salvatorianam rem publicam abhinc paucos menses ortum erat, et incassum inter contendentes populos suam intercessionem septentrionalis Nordici foederis praeses interpoluerat. Verumtamen brevibus pugnis exiguae bellantium copiae ita sunt invicem exhaustae, ut ad pacem feriendam hinc inde venire oportuerit. Quod bonum faustumque sit, atque finitimas gentes novo monumento edoceat.



Foedus inter Iaponiam et Galliam.

Novissimis autem diebus novum pacis universorum conservandæ pignus ultimo ex Oriente nunciatum est. Iaponii namque et Galli novum foedus inivere, quod facinus omnes gentes libenti animo sunt prosequutae. Est enim foederis mens hodiernam ultimi Orientis compositionem protueri atque perficere eo modo foedera, quae invicem iam et Iaponii et Angli et Russici considerunt. Quodsi forte de Sinen-

sibus finibus aut Mandchourianis, vel circa Indicis Gallorum colonias iurgia exoriantur, novi foederis conditae leges has contentiones component. Opportunum autem erit quam maxime huiusmodi rationes ab aliis quoque gentibus, quarum praecipue orientalium rerum conditio interest, ut a Germanis et ab Americanis, consensu confirmari palam. Nam quidem confirmationem iam traditam private censemus; nil enim aliud Bulowius comes, Borussici Imperi cancellarius, municipibus coram dixit quum fassus est Orientales res omnes earumque vi- cissitudines iamdiu sibi plane notas ac probatas fuisse.



Triplex Europaeum foedus confirmatum.

In Europa inter Germanos, Austros et Italos triplex illud foedus iamdiu per celebre immutatum manet. Haec declararunt Bulowius, Tittomius atque Aherentalius, suis quisque coram populi oratoribus. Quimodo, postquam Bulowius descendit ad Ligures, Aherentalius Berolinum venit multaque ibi cum Vilhelmo Caesare communicasse traditur. Similiter vero ad Italos quoque brevi venturus minister ille nunciatur. Quae non sine multa pacis felicitate reputamus; tres enim haec consociatae gentes, quod hucusque fecere, in posterum quoque facturae videntur ad Europae concordiam ex animo defendendam.



Regalia itinera.

Anglorum haec inter rex ab Italis profectus per Gallorum rem publicam Londonum iterum tenuit: uxor vero eius Alexandra Athenas petit, Georgium fratrem Graecorum regem salutat, deinde privatim apud nos rediit. Danorum rex atque regina ad Norvegos, quorum nuperrime rex filius eorum Haakon electus est, viam fecere, ubi et a filio et ab universo populo laetitia et plausu incredibili excepti sunt libentissime.



Mauritanorum seditiones.

Ex Mauritania novarum seditionum atque ad velitationum nuncii quotidie pervenient. Verumtamen quum Galli milites Oudja urbem adhuc armis teneant, quumque imminet Marrakesck in portum Iberica classis atque Gallica, ad rebelles turbas sedandas Mauritanorum rex omni ope satagit, ne graviora in imperium suum detrimenta conseruantur.



Regni haeres in Hispania natus.

In Hispania denique haeres regni natus est, cui nomina imposita Alfonsus, Pius, Eduardus, Ferdinandus, Carolus, Philippus, Christianus, Venantius. Felix quidem eventus, nec exigua Hispanae gentis felicitas, quae natum regulum incredibili planu undique cognovit. Baptismi ad aquas patrinus infantis fuit Pius PP. X, delegato ad rem Purpurato Patre Aristide Rinaldini, qui S. Sedis in Hispania procurationem gerit. Vester et linteal et pannos quibus infans regius involveretur omnia Pius ipse dono dedit opere quidem exquisito confecta, et in arca sericis cooperta velaminibus

auro contextis reposita. Natum puerum faustis auspiciis ultimi nos, at non minore animo prosequimur!

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In Argentina republica auguralem novarum sessionum orationem praeses habuit, qua optima re publicae opes et arma et amicitias esse confirmavit.

In Austria habitis tandem comitiis ad populi legatos eligendos sociali quam dicunt factioni passim, sive christianorum sive non, victoria favit; illis certe potissimum, qui de oeconomica publica pauperum re adiuvanda sese curatueros spoderunt.

In Belgica novi administrandi, quibus Trooz praeses a rege praefectus est, publici coetus coram legatis sisterunt. Sed eorum magistratum brevi casurum plerique praenunciant. — Coniam coloniam cito regni ditioni esse addicendam plurimi tradunt.

In Gallia Clemenceau, administratorum collegio praeses, ab adversariis et aemulis vehementi disceptatione petitus est. Ceterum quoad usque de certa requie a laboribus ac de occidentalibus ferreis viis leges latae non fuerint tuti illi sedes in magistratu hand erit.

In Germania Bulowius comes, imperii cancellarius, orationem de republica habuit eximiam, dum summa expensarum in disceptatione habetur. De Borussorum amicitia cum externis gentibus dixit prudentissime, ac praesertim circa Anglos, quos peculiari consilio in dicendo spectavit.

In Iberia habitis novissime ad eligendos oratores populi comitiis christianorum oratorum magna manus electa est. Supremus itaque magistratus Maura praesidi est traditus, cuius ab integritate multa exspectantur.

In Russia municipum sessiones resumptae sunt, non sine factionum contentione. Qui enim optimatum partes moderatur de publicis criminibus firmiter coercendis rogationem ultra perspexit. De re tam gravi immaturam esse disceptationem multi oratores sunt arbitrati, eamque ob causam animorum excitatio orta est.

PER ORBEM

Die XXI mens. Aprilis M DCCC VII, almae Urbis natali, in Lunensi portu *Roma*, loricata Italorum navis, sollemni ritu in mare immittitur.

— d. XXII Tolonae in navalibus novum incendium exoritur, unde officinae plures absuntur, viginti et ultra homines vulnerantur.

Lutetiae Parisiorum, septuaginta et quatuor annos natus moritur Andreas Theuriet, milesiarum fabularum scriptor valde celebratus.

— d. XXVI Neapoli placide quiescit Petrus Platania, musicae artis magister peritissimus, Catanae ortus an. M DCCC XXVIII.

In Virginia provincia e civitatibus foederatis Americae septentrionalis centenaria sollemnitas illius populi celebrantur. Norfolkii, omnium artium civitatis recensio post Rooseveltii praesidis fervidam orationem inauguratorum.

— d. XXVII Venetiis, VII ingenuarum artium ex omnibus gentibus exhibitio patet.

— d. XXIX Perusiae, antiquae Umbrorum artis collectio, adstante Emmanuel, Italorum rege, publice producitur.

— d. XXX Antivari in portu ignitae pulvris, cui dynamites nomen, coacervatio incenditur damnaque proximis aedibus, pluribusque hominum circum corporibus adducit.

— d. IV mens. Maii Nadworna, Galiciae orientalis oppidum, flammam praeda fit, quae tempora omnia domusque supra centum perverunt.

Neoeboraci eadem aedibus mulierum e soliditate cui titulus *Lotus* contingunt. Sodales tres inter flamas pereunt; quadraginta vulneribus afficiuntur.

— d. VII incendium Tyszcze oppidum Lublinensis provinciae destruit. Tria millia hominum habitationibus privantur.

— d. VIII vectoria navis *Poitou* in litus Uruguayum ad Montevideo tempestatis vi agitur, neque miseris viatoribus promptum auxilium afferre licet, quorum ideo plures fluctibus submerguntur.

— d. X Madriti Hispanici regni haeres cum omnis gentis laetitia ad meridiem nascitur.

— d. XII Lutetiae Parisiorum supremum diem obit Carolus Huysmans, inibi natus die V mens. Febr. M DCCC XLVIII. Commentiarum fabularum scriptor et Aemili Zola quondam assecla, arti moribus obnoxiae deinde valedixit et Christianae fidei extollenda una cum Coppée, Bourget, Brunetière totum se dedit.

— d. XX Londini fato concedit Beniaminus Bacae, ob Nili fluminis munitiones aggeresque ad Assuan exstructa architectus universa laude merito honestatus.

AENIGMATA

I.

*Totum serpit ubi, nemori metuenda ruina,
Nunc has, nunc illas depopulata plagas.
Divide: pars prior emendat vitiata metalla,
Posterior gaudet grande levare famem.*

II.

*Quae tibi dux per iter tremulis intermico flammis,
Nomina mendaci tecta colore gero.
Mutus litterulam? Cautis succurro colonis
Nubilus effusis quos polus implet aquis.*

ANDR. PAPAY.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

DE POETIS ET NUMERIS LATINIS.

Aenigmata an. X, n. III proposita his respondent:

- 1) Roma, Maro, Amor;
- 2) Lingua, vel etiam Calamus scribens.

Ea rite soluta miserunt:

Henr. Tarallo; V. Starace, *Neapolit.* — Theresia Venuti marchionissa, *Roma*. — Call. Amalberti, *Albio Intemelio*. — Petrus Tergestinus — F. Arnori, *Mediolano*. — Guil. Schenz, *Ratisbona*. — Hermes Gini, *Aqua Taurinis*. — Rich. Müller, *Berolino*. — Georgius Németh, *Vasndadasd*. — Senior Astensis. — Ioan. Rappel, *Aurelianum*. — Aug. Givanovich O. P., *Ragusio*. — I. Ortiz, *Morelia*. — F. Guerra, *Aletio*. — I. Walter, *Neoboraco*. — Aug. Roberge, *Chicotino*. — Fr. Bonaventura, *Aterno*. — I. Rambaldi, *Geneva*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Rich. Lefebre, *Zutetia Parisiorum*.

Sortitus est praemium:

CALLISTUS AMALBERTI,
ad quem missum est opus, cui titulus:

FABULAE SELECTAE
IOANNIS LATH FONTAINE
LATINE CONVERSÆ
A FRANCISCO XAVERIO REUSS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMÆ — Ex officina *Patris*, Phil. Cuggiani.

(Passim retractavit hodiernisque scenis aptavit I. F.)

Sin destituto calculum mundus negat,
 Tu, Christe, conclusum qui latebrosae subis
 Penetrale mentis, quique Pelagii vides
 Fidele caelo pectus, insontem proba.
 SEB. Quo teste?
 PEL. Ligno. Redde simulacrum. O deus!
 Recita (1).
 PROCL. (2) SCULPEBAT PRO LONGINO LAUSUS.
 LONG. Quid (3) ore falsus impuro legis?
 PHIL. Resiste, princeps...
 PROCL. Vera sculptoris lego
 Monumenta; scripsit.
 LONG. Pernego.
 PROCL. Testor stilum.
 Sic iudicamus? Caesar, absisto (4).
 ZEN. Mane...
 LONG. Abeat in Orcum praedo; rumpantur sinus...
 Horrescit animus... Frater, has finxit notas,
 Quo mihi probrosae fraudis haereret nota.
 PEL. Quaeratur opifex.
 LONG. Miles, hunc Lausum trahe.
 PHIL. Heri veneno rumor exstinctum canit,
 Nec unde constat.
 ZEN. Mentis o vafrae modum!
 Sic aliud alio scelere velasti scelus?
 Proferte, Proceres, quo premat libram Themis.
 Reumne damnat causa Pelagium?
 OMNES. Reum.
 ZEN. Ergo bipenni, miles, obtrunca reum!
 PEL. Succumbe, virtus; obruit fidem dolus.
 Longine, plaudere; summa votorum tenes.
 Iam noster atram sanguis inficiet togam;
 Hinc purpurascens. Scande iam felix thronum.
 Audite, reges. Qui tyrannorum quatit
 Apices superbos, quique, cum libet, thronum
 Mutat catastas, sarculo sceptri decus,
 Trabeam lacerna, vinculis torquem, nece
 Vitam, triumphos funere, sepulcro tholos
 In astra ductos, Christus, haec iussit loqui:
 Quousque tandem vindicis caeli facem
 Sic provocatis? Crevit in caelum gradus
 Molesque scelerum. Quantus, heu quantus fluit
 Ubique sanguis, criminum immensum Chaos!
 Iam iam lacerunt Nemesis ultricem manum.
 Librata causa est, lata lex, poena haud procul.
 Cavete, fratres! Iam caminorum faces
 Orci aestuantes igneique vortices,
 Iam pix hyemsque flammea et ardentes globi,
 Iam mixta taedis ira sulphureis vocat,
 Vocat nocentes.
 ZEN. Vana delirus canit.
 LONG. Pallens futura clade mens tricas agit.
 Frater, abeamus. Me vocant regni notae.
 PEL. Longine, fallere. Lucis est animus mihi
 Contemptor, istum quique vel fuso lubens
 Emat triumphum sanguine. O spes credulæ!
 O mens futuri caeca! Quid sceptrum petis?

(1) Dat Proculo effigiem Iovis ut inscriptionem legit.

(2) Legit.

(3) Longinus pugione stricto in Proclum fertur.

(4) Erumpit e concilio iratus.

Facies in omnes vertere, et quidquid vales
 Astu vel armis, contrahe; imperii decus
 Haud assequeris. Tuque regnorum potens,
 Quem rere nostra posse firmari nece,
 Perdes honorem, funeri horrendo datus.
 LONG. Fauces Averni!
 ZEN. Miles, ad poenas age.
 Sebastiane, coge praesidium ocios.
 ERAST. Quo, quo, pater verende? Quam calcas viam
 Nato relicto? Caesar, hic aliquid dies
 Optare natum iussit. O serva patrem!
 PEL. Absiste, nate; fundis incassum preces;
 Spirant cruorem...
 ERAST. Redde miserando patrem;
 Me plecte, Caesar, me feri, vivat parens.
 ZEN. Quin vive, patre digne meliori, puer;
 Abiice rebellem; patris expiebo vicem.
 Natus ferere Caesaris; in aulam veni,
 Mecumque dulce pignus imperium rege.
 PEL. Horresce, nate; vanus imperii favor,
 Peius merenti melior, infidus bonis.
 Affulget aula? Fulgor occoecat, vide.
 Arridet aula? Casus impendet; time.
 Alludit aula? Lusus illudit; cave.
 Haec moneo genitor. Ne levi captus bono
 Anhelus aulae decora fallacis cole.
 His te paternae mentis haeredem creo.
 Fuge foeda regum culmina, tyrannos fuge.
 ZEN. Rape contumacem, miles!
 ERAST. Observa patrem.
 MORIRE, genitor?
 LONG. Rumpat invidia patrem;
 Venies in aulam... Vis reluctantem premet! (1).
 PEL. Eat ad dolores hic quoque Pelagii dolor!

SCENA II.

SEBASTIANUS, PELAGIUS, MILITES.

SEB. Age nunc, theatrum scande funereum reus.
 Comitare, miles; fida famulantum cohors
 Armate dextras. Ensis hinc nudo vibret
 Mucrone flamas. Inde diductis retro
 Pendeat in ictum nervus. Auxilium reo
 Si quis ministret cominus, ferro cadat.
 Si quis fremendo clamet iniustum nefas
 Petatur eminus; hasta clamantem domet.
 Audete fortis; absit ex animo timor.
 PEL. Tandem theatrum calco fatale, arduis
 Hoc propriar astris, quo cavernosa magis
 Terra remotus. Iam prope sidereum domum
 Teneo beatus. Christe, calcatae necis
 Victor, nigraeque dives exuvias plagae,
 Da, da subactae mortis emeritum feram
 Victor triumphum; redde certanti polum.
 SEB. Fatere tandem scelus adorati Iovis
 Laesique regis.
 PEL. Absit impositum scelus.

(Ad proximum numerum).

(1) Erastus reluctans abripitur in aulam. Eum ceteri sequuntur, praeter Pelagium, Sebastianum et milites.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
Comm. VOX URBIS in an. MDCCCCVII.

Premium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80;
ubique extra Italiam Libell. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5;
Rubl. 3; Coron. 6,25 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM
COMMENTARII "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM
ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA:

Ex subnotatoribus quisque KALENDARIO a *Voce Urbis*
expresse edito fruetur.

Qui socios novos comparaverit duos premiumque eorum
subnotationis miserit, subnotationem gratis omnino sibi habebit.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium
mensem – bibliopolis exceptis – dimidiatum premium itineris habebit a quovis Europae
loco ubi vivat Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti
vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra,
eodem itineri gratis omnino fruetur.

Kalendis Ianuariis MDCCCCVII "cumulativa", subnotatio instituta est
inter comm. *Vox Urbis* et Romanum diarium *Corriere d'Italia*.

Ven. in Italia lib. 18; apud exteras gentes lib. 34,50.